

## **Nonnulla de mortuorum inspectione / [Adolph Theodor Wendler].**

### **Contributors**

Wendler, Adolph Theodor.  
Universität Leipzig (1409-1953)

### **Publication/Creation**

[Leipzig] : [Staritz], [1845]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/adve2kj5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Cxvi f  
52659/p

42600

**NONNULA**  
**DE**  
**MORTUORUM INSPECTIONE.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA**  
**QUAM**  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE**  
**IN ACADEMIA LIPSIENSI**  
**PRO SUMMIS**  
**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS**  
**RITE CAPESSENDIS**  
**ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU**  
**IN AUDITORIO IURIDICO**  
**DIE XI. M. MARTII A. MDCCCLV.**  
**PUBLICICE DEFENDET**  
**AUCTOR**  
**ADOLPHUS THEODORUS WENDLER**  
**LIPSIENSIS**  
**MEDICINAE BACCALAUREUS.**

---

**LIPSIÆ**  
TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.



NONNULA  
DE  
MORTUORUM INSPECTIONE

DISENTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMA

Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

DE Z. M. MARTII A. M. D. C. C. L. V.

RECTOR ORIENTIS

ALCOZ

ADOPHUS THOMASUS W. H. D. L. E.

LIPSIAE

RECTORIAE RACALAEUS.

LIPSIAE

<https://archive.org/details/b30353257>



**PATRI DILECTISSIMO**

○ HUNC LIBELLUM ACADEMICUM GRATUM

ESSE VOLUIT

***Auctor.***



## C A P. I.

**M**agna est copia malorum vitam humanam corrumpentium. At quid dolores, quid vulnera, quid morbi, quid omnia illa, quae et sensus et animus hominis perhorrescunt, si consideramus ea, quae innotuerunt de hominibus non solum pro mortuis habitis, verum etiam tanquam mortuis sepultis. Semper fuerunt et adhuc observantur specie mortui, qui, omissa cautione, sepulcris traditi mox quidem iterum in vitam redeunt, saepe tamen ita, ut e sepulcro removeri non possint, quoad fames vel frigus vitam illam moestissimam extinguant. Casus enumerantur, ubi, praesentibus omnibus fere mortis signis, tamen in corpore humano aliquod vitae residuum aderat, quod cante retentum mox iterum per singulas corporis partes sensim sensimque extendebatur et sic vitam veram restituebat. Postquam multa de morte opinata et de specie mortuis innotuerunt, necessarium visum est, ut aqua submersi, frigore rigentes, suffocati, suspensi, attoniti, nec non ii, qui contusionibus, haemorrhagiis et conquassationibus vehementioribus in conditionem morti similem inciderint, non pro revera mortuis habeantur, sed potius animationis experimenta in iis instituantur. Non eadem cautione usi sunt in iis, qui per longinquam sollicitudinem, per neuroses, partum difficilem aliasque similes occasiones mortem opinatam sibi contraxerunt. Denique vero in universum hoc principium stabilitum est, quemvis mortuum vel mortuo similem summa cautione observandum esse, quoad verae mortis dubium non amplius adsit. Cor nimirum, irritabilitatis centrum, per longum tempus vim suam propriam retinere potest, etiamsi fere nullum absit externum mortis



signum; quare vita propria, sanguinis circulatione et respiratione sublata, nondum extincta esse debet. Ceterum mortis opinatae species est, ubi praeter cordis irritabilitatem etiam systema sensibile, quamquam per tempus aliquod integrum, organis tamen suis uti non potest. Tum obscura quaedam vitae conscientia remanere, tunc sensus quidam incitamenta percipere possunt, alia vero vitae signa adesse non solent.

Haud raro illi, qui mortui habentur, os statim obligatur, ne, partibus rigescentibus, apertum maneat, saepe etiam e lectis ad loca remota, humida, frigida transferuntur, qui mores politionis medicinali tanquam pravi removendi sunt.

Sic PETRUS FRANK<sup>1)</sup> enarrat, morem esse satis communem, homines vix mortuos, vel etiam eos, qui propinquis nimis tarde vel dolorose mori videantur, e lecto extrahere et in tegetes stramineas vel tabulas ligneas, interdum etiam in terram ipsam deponere. Porro secundum eiusdem narrationem talibus moribundis ab aliis nares et os clauduntur, quod a senatu Metiaeo anno MDCCLXXVII vetitum est.

## C A P. II.

Haud supervacaneum videtur, exempla quaedam adicere, quibus confirmatur, revera homines praemature esse sepultos.

Sic MATTHAEUS GOTTFRIED PURMANN<sup>2)</sup> narrat, ancillam ex omnium, qui in eadem domo habitarent, sententia peste correptam, ad vesperam celerrime mortuam esse, ita, ut post aliquot horas, quia nullum adesset vitae signum, ad sepulcretum transferretur, ubi hora matutina se-

1) *System der medic. Polic.* IV. p. 666.

2) *Pestbarbier.* Halberstadt 1685.



quente sepeliretur. Quum vero vespillones humum loculo adiciere coepissent, tunc illam iterum sese movisse, loculum pulsasse, ita, ut e sepulcro remota atque in nosocomium translata, omnino sui compos, sed sine loquela duos adhuc dies vixisset, atque tunc demum revera mortua esset.

Simili modo professoris Tuebingenensis uxor, quae convulsionibus hysterice laborabat, sexto graviditatis mense terrore affecta est tam gravi, ut in spasmos vehementissimos incideret, et, his finitis, post horas quatuor mortua esse videretur. Quinque medici, quorum duo satis noti, Camerarius et Mauchart, nullam motionem, neque pulsum, neque respirationem nec ullam sensibilitatem observare poterant. Post horas quinque animationis experimentis frustra peractas, Camerario in mentem venit, vesicatoria pridie pedum plantis applicata remove, atque simul feminae faciem accuratissime observare. Iamiam hallucis epidermide remota, medicis mutatio quaedam circa os apparuit. Quamobrem omnia animationis experimenta iterum instituta sunt, sed sine effectum. Sic femina per dies sex sine ullo vitae signo, excepto calore aliquo in regione scrobiculi cordis, iacebat. Tunc vero subito oculos aperuit atque in vitam rediit, sed sine conditionis, in qua sit versata, conscientia. Serius, cibus sumtis, infantem mortuum peperit et mox omnino convaleuit.

Pari modo Gelas, sacerdos centum annos natus, incidit in somnum morti simillimum, ex quo expergefactus est eodem tempore, quum omnia ad exsequias essent parata<sup>3)</sup>.

Hic etiam commemorare licet mortem opinatam interdum parentheses in hydropicis institutae sequelam esse. In exemplis relatis parum abfuit, quin asphyctici sepelirentur, sed adsunt alia, quibus specie mortuos revera sepultos esse confirmatur. Bibliopolae nimirum Lipsiensis uxor puerpera in statum aliquem incidit, qui pro morte habebatur. Quare ad sepulcretum trans-

---

3) Mém. sur les inhumations précipitées par PINEAU p. 87. — RIGAUDEAUX in diction. des sc. méd. t. 19. p. 532.



lata est, ubi, loculo semel adhuc aperto, vespillones in feminae digitis annulos aureos animadvertabant; quamobrem illi leniter solummodo loculum humo obtegebant et nocte sequente iterum eum aperiebant annulorum causa. Quum vero femina a vespillonibus tacta brachium retraheret, hi valde perterriti fugerunt. Interim illa omnino sui compos reddita cum lucerna a vespillonibus relictā domum rediit, ibique a marito suo recepta est. —

Ecclesiae Cadillacensis custos, quum campanarum sono vesperam indicare vellet, feminae hora matutina sepultae vocem audivit. Sacerdos his hac de re a custode certior factus ad sepulcretum se contulit, idemque audivit. Sepulcro aperto femina viva inventa est, quae tamen brachii atque manus partem morsibus laceraverat.

IAEGER Stuttgardiensis<sup>4)</sup> historiam nobis tradidit hancce:

Homo post phthisin longinquam tanquam mortuus sepultus est. Vespillo adhuc sepulcro humo implendo occupatus ex profundo pulsationem iterum iterumque audit, et mox quidem in capitis, mox in pedum mortui regione. Loculo post horam dimidiam e sepulcreto remoto, pulsatio non amplius audita est, eoque aperto, pectus et collum lividum colorem ostenderunt, et, venae-sectione instituta, sanguis serosus profluxit. Interim etiam lividus colli color adauctus est; manus antea in pectore depositae nunc in cruribus iacebant, caput vero ad latus versum erat, ceterae partes flexibiles, maculae omnino nullae inventae sunt.

Huc etiam pertinent, quae de masticatione mortuorum innotuerunt<sup>5)</sup>; oritur nimirum quaestio, num ii sepulti, quorum mandibulae adhuc moverentur, revera mortui fuissent, nec ne.

4) HENKE, *Zeitschrift* VI.

5) ROHRUS de masticatione mortuorum Lips. 1679.



## C A P. III.

Confusionis illius tristissimae, nimirum mortis opinatae cum morte vera, hanc esse causam, quod signa mortis verae lucusque tributa saepissime fallacia atque incerta sint, facile intelligitur. Multa enumerantur mortis signa; inprimis pallidus ille faciei atque reliqui corporis color, labia livida, frigus notabile in toto corpore, respirationis, cordis micatus atque pulsus absentia et sensibilitas extincta quoad omnia, quae homini viventi stimulum praebent atque incitamentum.

Quae quidem signa ad mortem confirmandam non sufficere, nostris temporibus experientia docuit.

Iam paulo certiores reddimur de mortis verisimilitudine oculo sic dicto fracto, i. e. cornea in vivis cavata, pellucida, in mortuis collapsa atque turbida; deinde ore per mandibulam delapsam aperto; porro extincta partium mollium elasticitate, praesertim in humerorum et natum regione; tum maculis caeruleis vel lividis in dorso, articulationum rigiditate, denique eo, quod venae apertae sanguis non effluit.

Ex uno tantum signo mortem veram concludere non possumus, sed compluria simul cum conditione mortis antecedente considerata satis certam diagnosis constituunt.

Quod attinet ad status mortis antecedentes, mors vera senectutem, morbos longinquos, e. g. phthisin, hydropem, vel etiam exanthemata acuta, typhum etc. nec non laesiones quasdam graviores sequi solet.

Mors vero opinata non solum post morbos aliquos, sed etiam sine morbo antecedente in hominibus sanis et adolescentibus observatur, vel sine occasione cognita, vel post terrorem, indignationem, post gaudium vehemens, post nuntium gravem nec expectatum, post spirituosorum abusum atque ventriculi cibis ad concoquendum ineptis impletionem, vehementissimas corporis motiones cum refrigerio, post famem vel sitim longinquam. Sic etiam in graviditate, in actu partus ipsius, vel statim post partum, atque in puerperio,



porro in morbis spasmodicis, neurosis accedere potest status aliquis morti similis. Huc etiam pertinet mors opinata, quae interdum haemorrhagias permagnas, vel alias evacuationes vehementes, e. g. paracenthesin in hydro-picis institutam sequitur, nec non ea, quae per immersionem in aquam, per fulmen, per frigus, per strangulationem, per inspirationem aëris ad respirationem inepti et per venena efficitur.

Liceat hic commemorare solummodo infantes eos, qui specie mortui quidem nascuntur, sed per remedia excitantia rursus in vitam revocantur.

Singula quaedam mortis signa nunc accuratius consideremus. Primum cordis micatus atque pulsum: Circulatio sanguinis omnino sublata cognosci dicitur ex eo, quod sanguis e vena dissecta non profluit, aut, si quid sanguinis profluat, e ratione, qua se habet. At etiam in vivis hominibus haud raro sanguis e vena secta non effluit; nimirum si cordis vis, ut in animi deliquio, plane depressa est, tum sanguis ad vasa minora atque remotiora pervenire non potest. E contrario sanguis nondum coagulatus e mortuorum vasis elasticitatis vi propelli potest. Cum vero sanguis e vena secta emissus coagulatus invenitur, tunc vitam omnino sublatam esse concludere possumus; vel saltem, etiamsi vita omnino non extincta sit, magnum tamen circulationis restituendae impedimentum per coagulationem oriri. Quamobrem coagulatio sanguinis ei, quod e vena sanguis non profluat, tanquam certius mortis signum praeferenda est.

Sequitur sensibilitas illa quoad stimulos atque incitamenta, quae praecipue in musculorum irritabilitate cognoscitur. Plane nota sunt experimenta electrica in mortuis et hominibus et bestiis instituta. Qua de re FOTHERGILL dicit <sup>6)</sup>: „Quamdiu electricitatis ictibus musculorum contractio efficitur, personae, cui applicatur, vita restitui potest, ubi vero non contigit, mors certissima est;“ galvanismus tamen proprie sic dictum electricitati frictione provocatae praeferendum esse, CREVE, HEIDMANN, BEHREND, alique

---

6) HAWES, I. I. p. 198.



affirmant. Quam quidem efficaciam AL. ab HUMBOLD<sup>7)</sup> non negat, omni vero iure dicit, hic non verisimilitudinem sed potius certitudinem signorum quaerendam esse. Ceterum negari nequit, irritabilitatem in variis corporis animalis partibus plane variam esse, et spasms vehementibus nec non rigiditate musculorum adaucta impediri posse, ita, ut externarum partium musculis irritatis, sese tamen non contrahentibus, internarum vita adhuc integra esse possit. E contrario cum in hominibus revera mortuis, tum in membris a corpore dissectis irritabilitas illa observata est<sup>8)</sup>.

Corneae collapsus a multis viris doctissimis, e.g. VAN DE HAEN, WINSLOW, FOTHERGILL pro certo mortis verae signo habitus est. At quamquam omnino ad signa certiora pertinet, tamen, quia solummodo ab hominibus doctis aut expertis recte cognosci potest, ei soli fides non habenda est.

Elasticitatis absentia in partibus mollibus in omnibus quidem cadaveribus observatur, sed plerumque tam sero, ut in usum vocari non possit.

Inter certissima mortis signa enumeratur putredo universalis, quae secundum morborum antecedentium et tempestatis varietatem vario tempore post mortem observatur. Primum huc pertinet odor funereus, deinde praesertim in abdomine et genitalibus maculae oriuntur virides — vel virido-nigrae. Ex ore, naribus, ano, in feminis etiam ex genitalibus sanies profluit malo odore praedita. Serius etiam epidermis, si fortius tangitur, a cute separatur. Quae signa certissime observari possunt 72 horas post mortem veram.

De putredine MENDE<sup>9)</sup> recte dixit, eam, quae in viventibus corporibus putredo vocetur, aut nullam esse, aut solummodo a morte singularum partium viventibus adhuc adhaerentium dependere. Putredo vero localis atque partium externarum ad mortis verae notionem constituendam non sufficit, neque unum tantum eius signum, ut odor, cutis color, maculae, sed putredo uni-

7) *Ueber die gereizte Muskel- und Nervenfasern. Bd. 2. p. 7 u. flgd. 1797.*

8) *ALDINI, Versuch über Galvan. 1. Th. p. 102. — NYSTEN, Recherch. de physiolog. et chim. patholog. p. 367 et sqq.*

9) *Handbuch der gerichtlichen Medicin. 5. Th. p. 282.*



versalis atque omnia eius signa necessaria sunt. Quae tamen signa interdum nimis sero conspiciuntur; deinde mortui putredini saepius non solum per longum, verum etiam per omne tempus restitisse traduntur<sup>10)</sup>; denique signa illa in universum non eius sunt generis, ut ab omnibus facile atque clare cognosci possint. Qua de causa hoc signum aliquid incommodi habet, atque quoad celeritatem diagnoseos haud magni momenti est. Eadem de causa **DONNÉ**<sup>11)</sup> aliquid in corpore humano vel omnino animali invenire studuit celerius quam reliqua putredini expositum, atque tale quid sanguinem esse dixit, cuius globuli paucas tantum horas post mortem permutentur.

Reliquum est, ut de signo aliquo, quod facillime celerrimeque post mortem observari possit, nimirum de cutis exsiccatione nonnulla proferantur. Quod signum eo constat, ut cutis, epidermide remota, in mortuis exsicce-  
tur, cornu similis fiat, pelluceat, colorem subfuscum accipiat, tenuior red-  
datur atque vasa sanguine exsiccato impleta ostendat. Cutis vero hoc modo  
epidermide privatur, ut nonnullae liquoris Ammonii caustici guttulae pectori,  
brachio, femori vel alii parti infundantur et panniculo per sexagesimas non-  
nullas terantur.

Causas, cur epidermide privata cutis exsicce-  
tur, **WEBERUS** ita expli-  
cat: primum epidermide, quae evaporationem impedit, remota, evaporatio  
augetur; deinde animalium mortuorum membranae humorum transsudationi  
minus quam vivorum resistunt; denique fluida evaporata in mortuis sanguine  
non restituntur. Contra in vivis corporibus, epidermide sublata, corii  
vires ita adaugentur, ut paulo post ex eo nova oriatur epidermis; quam ob  
rem cutis exsiccatio in vivis organismis locum habere non potest. Quae etiam  
in hydropicis non observari dicitur; tamen in nosocomio St. Georgi Lipsiensi  
duo innotuerunt casus, ubi experimentum supra commemoratum in duobus  
hydropicis institutum omnino cutis exsiccationem efficiebat.

10) **GROLLMANN**, diss. de putred. mortis signo minus certo.

11) **SCHMIDT'S Jahrbücher**. Bd. 18. p. 269.



Adiiciantur adhuc nonnulla ad discrimen inter mortem opinatam et veram pertinentia. Nimirum in specie mortuis plerumque adhuc aliquis oculorum splendor remanet, nec facile cornea collabitur; eae partes, quibus corpus incumbit, minus compressae atque conquassatae apparent. Cutis frigus non tam glaciei simile est, nec illa omni turgore caret. Interdum etiam sensibilitatis ac motionis vestigium animadvertitur. Oculis apertis et ad lucem versis pupula paulo adhuc contrahitur. Os apertum facile claudi, brachium in cubito extensum nec non digiti extensi facile flecti possunt. Saepius etiam respiratio, quamquam exigua, observatur, si pluma a filo longiore dependens ante os movetur, vel si speculum omnino purum aut metallum aliquod laevigatum ante os et nares infusatur. Laudatur etiam hoc experimentum: poculum aqua impletum pectori nudo imponitur; tunc respirationis praesentia interdum motu aliquo regulari in aquae superficie indicatur. Aliud vitae nondum extinctae signum hoc esse potest, ut parva aquae bullientis copia pectori caute instillata cutis ruborem vel vesiculae eruptionem efficiat.

#### C A P. IV.

Antiquissimorum populorum historia nos docuit, legislatores hominum praeiudiciis, ex quibus ii mortuos suos quam primum sepeliri studerent, eo restitisse, ut, causis variis et religiosis et politicis praetextis, dies certos indicarent, ante quos nullum mortuum sepeliri liceret. Sic HERODOTUS<sup>12)</sup> in Aegypto nullum mortuum ante diem quartum post mortem sepeliri debuisse narrat. Persae<sup>13)</sup> veteres mortuos suos non sepelierunt, priusquam cada-veris odor aves carnivoras allexerit. Apud Chineses amicus vel propinquus

12) HEROD. Lib. I.

13) Ibidem Lib. II.



mortui corpus veste, qua vivus usus erat, integit, ita ut mortuus per dies tres oblectus iaceat et animae reditus expectari possit. *Lycurgus* canticis funebribus undecim dies tribuit, ante quos nemo sepeliri debebat, et *Graeci* in universum mortuos per tres dies deplorare solebant, antequam eos sepeliiebant. Sic etiam lex duodecim tabularum sepulturam ante diem nonum vetabat. *Romani* veteres secundum *PLINIUM*, *QUINCTILIANUM* aliosque autores mortuos suos per aliquot dies in domiciliis retinebant, nec eos igni tradebant, priusquam acclamatio crebra, libitinariorum clamor atque digiti unius decisio certissima mortis verae signa iis fuerant. Neque tamen semper cautio illa suffecit; historia enim *ACILIUM*, *LAMIAM* nec non *TUBERONEM* in rogo ipso ad vitam rediisse narrat.

Nostris temporibus necessarium visum est, ut mortis signorum scientia cum populo communicetur, ne specie mortui sepeliantur nec eorum sanatio negligatur. Sic anno 1794 sacerdotibus borussicis mandatum est, ut coetus suos mortis verae signa edocerent, atque praescriberent, quomodo cadavera per longius tempus observanda essent. Quo in mandatu primum verisimilia atque insufficientia mortis signa enumerata et rationes commendatae sunt, quibus vita revocari possit. Unicum vero certum mortis signum in eadem instructione demonstratur putredo vera et universalis, eiusque signa. Porro nemo, qui mortuus habetur, statim nudus in cubiculo frigido, sed unusquisque aestate, vere et auctumno per unum saltem vel duos dies, hieme vero per tres dies vel quatuor in spatio quodam modice calido vestitus deponi debet. Interim animationis experimenta instituenda sunt; si vero illa nullum effectum exserunt, corpus tanquam cadaver lavandum, vestitumque in loculo aperto et cubiculo frigidioris depositum custodibus tradendum est.

Iam supra electricitas metallica commemorata est, tanquam verae mortis explorandae remedium. Huc etiam pertinent experimenta a *CREVE* instituta. Apparatus, quo ille utebatur, ita constructus est, ut arcus argenteus cum tabulis argenteis et stanneis per cochleas coniungatur. Ea cutis supra cubitum sordibus liberatae pars, quae musculum bicipitem brachii obtegit,



tenditur et musculus ipse per incisiones longitudine pollicum 5 ad 6 in media eius parte nudatur, vulneris labia cutis tensione inter se removentur et anti-brachium paene omnino extenditur. Tunc instrumenti Creviani tabulae fibris musculi nudis paulo fortiter imponuntur, quae in ipso tactus momento observandae sunt. Praesente adhuc irritabilitate, fibrae vario modo contrahuntur; tunc vulnus lege artis statim claudendum est. E contrario, si nullus effectus animadvertitur, experimentum repetendum est. At hoc Creviano instrumento localis solummodo irritabilitas, non universalis probatur.

Quamquam desiderium sepulturam praematuram evitandi ipsa hominis natura contineri ac probari videtur, tamen Iudaei e principiis religiosis mortuos suos eodem, quo mortui erant, die sepeliendos esse putabant. Quod a duce Megalopolitano anno 1772 vetitum, a Iudaeis Suerinensibus, nec non ab HIRSCHHELIO, rabbino Hamburgensi, defensum est. Alius Iudaeus celeberrimus, MOSES MENDELSON, legem a duce illo datam laudat<sup>14)</sup>. Sic etiam Pragae a Gubernio Austriaco anno 1786 hora quadragesima octava post mortem tanquam tempus sepeliendi constituta est<sup>15)</sup>.

Ii, quibus politia medicinalis tradita est, quum intelligerent, mortem veram a morte opinata solummodo a viris doctis recte discerni posse, talibus viris hoc munus tribuere studuerunt, atque ea de causa mortuorum inspectionem fieri iusserunt.

---

14) HENKE, *Zeitschrift* V. 4. S. 295. — MARCUS HERZ, *über die frühe Beerdigung der Juden*. Berlin. Voss. 1787 — 88.

15) SCHERF'S *Archiv* VI. S. 208.



## CAP. V.

Cum mortuorum inspectione arcte etiam domorum funerariarum institutio cohaeret, sine qua illa proprie imperfecta dicenda est. Qua sub voce intelliguntur aedificia publica, in quorum cubiculis hunc ad finem proprium praeparatis mortui vel mortuis similes recipiuntur atque observantur, quoad sine periculo sepeliri possunt. Quale aedificium in Germania primum Vindobonae anno 1794 e celeberrimi HUFELANDI praeceptis institutum est.

Aedificia simul etiam hunc praebent usum, ut morborum contagiosorum propagationem prohibeant, qui mortuis per longius tempus in domiciliis retentis facile exoriri possunt. Praecipue in oppidis magna incolarum copia impletis plane necessaria habenda sunt talia aedificia. Hic enim mortuorum conservatio multis ac magnis difficultatibus ac periculis coniuncta est, praesertim morbis contagiosis grassantibus; quae pericula adaugentur in familiis pauperioribus, angustissimis nec non pessimis spatiis coercitis, quando nimirum illae, aedificiis funerariis deficientibus, per longius tempus mortuos suos inter vivos retinere coactae sunt. Quod locum attinet, ut domus funerum in coemeterio instituatur, aptissimum est, si hoc, uti semper fieri debuerit, extra oppidum conditum est. Cum in talibus aedificiis exstruendis utilitas interna magis, quam externum decus, respicienda sit, in eo potissimum res posita est, ut spatium ad mortuos conservandos satis amplum, vivorum sanitati non periculosum, animandi remediis ac instrumentis praeditum adsit<sup>16)</sup>.

De magnitudine et institutione domus funerariae haec fere commendata sunt. In oppido incolarum octodecim millium, ubi quadringentos circiter mortuos per annum assumere possumus, cubicula duo iuxta se posita loculis duodecim omnino suffecerint. Corporibus muliebribus a virilibus separatis,

16) JACOB ATZEL, über die Leichenhäuser. Stuttg. 1796.



illa feminae, haec viro traduntur custodi, cuius cubiculum tabula vitrea satis magna ferruminata praeditum est, per quam mortui semper observari possunt, et qua odoris cadaverosi introitus in cubiculum custodis evitatur. Cubicula, ubi corpora ipsa iacent, per canales sub solo institutas calefiunt. Aliud etiam cubiculum necessarium est pro balneis parandis et instrumentis auxiliaribus conservandis. Instrumenta vero, quae in domo funebri necessaria censentur, haec sunt: labrum, pallium balneare laneum nec non mappae, machina ad oxygenium inhalandum, quae simul ad clysmata cum tabaco applicandum adhiberi potest, scopulae, vitra nonnulla spiritu, asa foetida, castoreo, tartaro stibiato etc. impleta, apparatus pro venaesectione, tuba, siphon, apparatus electricus, torus plumeus. Quae omnia non ubique parari posse per se intelligitur. Ne ullum vitae redeuntis vestigium praetermittatur, mobiles mortuorum partes cum filamentis coniunguntur, quorum motiones omnes tintinnabulo illis cohaerente indicantur. Commendatum est etiam suscitabulum per fila cum capite, brachiis et pedibus mortuorum coniunctum ita, ut instrumentum minima partium illarum motione statim moveatur. Cubicula, in quibus corpora recipiuntur, in inferiore tabulato iacent, in superiore cubiculum paratum est medico, qui aliquoties per diem domum invisit<sup>17)</sup>. Corpora caute in loculis foraminibus praeditis, quae aërem permittunt, vel corbibus ad aedificia funebria transferenda sunt. Quod tamen non statim post mortem fieri debet, nisi locus vel aliae res id ipsum necessarium reddant, sed potius corpora per horas viginti quatuor in domiciliis retinenda atque medico inspicienda, tunc vero transferenda sunt. In domo funeraria corpore facie non oblecta iacent, quoad verae atque universalis putredinis signa apparent. Tum demum, inspectione tamen pluries a medico instituta, sepultura fieri debet. Caeterum funera citissime putrescentia aut citius sepelienda, aut ab aliis removenda sunt.

17) SPEYER in HENKE'S Zeitschrift. Erg. H. V. S. 59.



## C A P. VI.

Non defuerunt, qui domorum funebrium necessitatem atque usum negarent, quorum argumenta haec sunt.

Primum nostris temporibus mortis signa tam certe constituta, tam infallibilia esse, ut simplex medici observatio sufficiat. At constat, pleraque signa solummodo verisimilitudinem satis magnam praebere, quae rei tanti momenti sufficere non potest.

Deinde mortuorum conservationem usque ad sepulturam eadem opportunitate in domiciliis, ac in aedificiis funebribus fieri posse, quod praeterea etiam pietati magis respondeat. Sed raro tantum domicilia ita se habent, in quibus omnia illa instrumenta ac experimenta institui possint.

Tum domorum funebrium institutione inanem hominum anxietatem quoad sepulturam specie mortuorum augeri. Attamen anxietatem illam omnino non inanem esse exemplis probatum est, nec eam rationes ab iis, quibus politia medicinalis tradita est, hucusque adhibitae extinguere potuerunt. E contrario post corporum receptionem in domum funerariam bene praeparatam metus nullus oriri potest.

Porro mortuorum conservationem usque ad veram atque universalem putredinem sanitati communi noxiam esse. Sed neque aedificia funebria in mediis oppidis conduntur, neque funera usque ad summum putredinis gradum ibi iacere solent. Praeterea in illis aedificiis summa cura atque opera ponitur in aëre renovando. Accedit, quod funerum exhalatio non tam periculosa est, quam dicunt; BRINKMANNUS enim saepissime sese in cubiculis versatum esse refert, ubi funera 40 ad 50 iacerent; nec unquam se aliquid mali inde sibi contraxisse. Inter anatomos enumerantur viri, qui ad senectutem altiore pervenerunt, e. g. FR. RUYSCH, I. B. WINSLOW, I. B. MORGAGNI, I. TH. WALTER, B. S. ALBINUS, quorum tres nonagesimum, duo septuagesimum annum superaverunt.



Denique difficillimum esse, aedificiorum funebrium sumtum sustinere. Vix tamen dubitandum est, quin sumtus ad domos funerarias instituendas et conservandas necessarius sepulturarum atque monumentorum sumtu minuto, magna saltem ex parte tolli possit.

Quae cum ita sint, argumenta illa a quibusdam prolata ad demonstrandum id, domos funebres non esse necessarias, sufficientia omnino non censenda sunt.



